

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3588

Auteur(s) : Alexandre IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Louis IX, France (roi)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1259, 21 juin

Lieu d'émission : Anagni

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle d'Alexandre [IV] adressée au roi de France sur l'élection de l'évêque d'Évreux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 617, p. 116-117.

Texte établi d'après a

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Xpisto filio, illustri regi Francie, salutem et apostolicam benedictionem. Debitum officii nostri requirit, ut, inter sollicitudines alias, quibus assidue premitur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter continuum, auctore Domino, suscipiant incrementum. Sane Ebroicensis ecclesie pastoris solatio destituta, nonnulli ex canonicis ipsius, dilectum filium, magistrum Radulfum Ebroicensem electum, tunc custodem ecclesie Peronensis, alii vero magistrum Radulfum de Albussone, capellanum nostrum, canonicum ipsius ecclesie Ebroicensis, in pastorem ejusdem ecclesie elegerunt ; cumque super electionibus hujusmodi esset apud sedem apostolicam inter partes diutius altercatum, tandem idem capellanus, pro se, ac dilectus filius magister Petrus Bonjor. camerarius venerabilis fratris nostri episcopi Tusculanensis, pro eadem custode, a quo habebat super hoc speciale mandatum, libere renuntiarunt in nostris manibus omni juri, si quod capellano et thesaurario predictis ex eisdem electionibus fuerit acquisitum. Nos itaque nolentes quod predicta ecclesia Ebroicensis diutius sine presule remaneret, ne occasione vacationis ipsius posset incurrere aliqua detrimenta, eundem electum, cui clara morum et vite ac scientie merita suffragantur, ac perhibetur testimonium quod in spiritualibus et temporalibus sit laudabiliter circumspectus, eidem Ebroicensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, prefecimus in episcopum et pastorem, firma concepta fiducia quod predictae Ebroicensi ecclesie per ipsius ministerium prosperitatis et honoris, Deo propitio, desiderata provenient incrementa. Quia vero, fili carissime, pietatis est opus Dei ministros et presertim pontificali dignitate predictos (sic) benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus, pro regis eterni gloria, venerari, serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus, eidem electo concedens regalia, et ipsum habens ac ecclesiam sibi commissam, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, propensius commendatos, ipsos regio favore munias et oportunitatis tempore potentie tue brachio tuearis, ita quod predictus electus tuo fultus presidio in comissa sibi cura pastoralis officii, Deo propitio, valeat

prosperari, nos que, qui de impenso favore personis ecclesiasticis letitiam specialem concipimus, celsitudini tue proinde grates uberes referamus. Datum Anagnie, XI kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.